

Respondemus, ita qvidem est, qvōd manibus quasi pedibusque enixe omnia faciant, ut hominibus persuadeant, se primos Typographiae esse inventores; ast enim verò qvibus argumentis id ipsum comprobant? Qvi *Hadriani Junii*, itemqve *Bertii*, aliorumqve verba, probe examinaverit, intelligit facile, sine fundamento sufficienti talia ab ipsis fuisse prolata, ut accurate demonstratum dedit *Mich. Majerus*, qvem Virum hoc loco instar omnium laudatum volumus: conferri cum eo potest *Jubilaeum Typographorum Lipsiensium*, itemqve *Henr. Salmuthius l. c.*

XV. Remotis itaqve ea, qva fieri potuit, brevitate his sententiis, remanet tandem illis haec inventionis gloria, qvibus unanimi omnium consensu semper fuit assignata, h. e. *Germanis solis*. Namqve hoc ipsum non uno vel altero, sed qvamplurimi doctruini Virorum testimoniis, neqve testimoniis solum, sed variis qvoqve rationibus ac momentis confirmari potest, qvæ apud citatos videri possunt autores, Et qvanquam adhuc disceptetur de primo inventore inventionisqve loco, ari scil. *Jo. Guttenbergius*, an verò alijs extiterit? item, num *Argentinae*, an vero *Moguntiae* primum sit inventa? totam tamen litem componi posse facile, ex *Annalibus Argentoratensium*, cum *insigni Theologo*, *D. Joh. Schmidio*, *Celeb. Bæclero*, aliisqve non postremae notae Scriptoribus, arbitramur; qvorum summa huc redit: qvōd primus Auctor fuerit *Jo. Mentelinus*, civis *Argentoratensis*. Hic enim A. M. CCCC XL. artem hanc in Patria excogitaverat; cuin verò perfidus ejusdem famulus inventum hoc, qvod à *Mentelino* tanquam mysterium occultum tenebatur, *Jo. Guttenbergio*, Viro Eqvestri loco oriundo, detexisset, contulerunt se se *Moguntiam*, ubi Typographiam sibi comparabat *Gut-*